

majore albido-hyalina, apice ejus areolaque minore infuscatis, macula sat magna ad apicem cunei, postice maculis duabus nigris linea tenui conjunctis terminata, pone has macula alia adhuc majore limbi exterioris, etiam hac postice fusco-terminata, albis, macula parvula infra apicem venae cubitalis aliaque apicali albicantibus; femoribus anterioribus innotatis, posticis inferne apicem versus atomis minutis fuscescentibus adpersis, tibiis albido-spinulosis, spinulis tibiarum posticarum e punctis minutis fuscentibus. Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ $2\frac{2}{5}$ mm.

Hab. in *Salsolaceis*: Turcomannia (Repetek! d. 17 aug.), D. Prof. J. Sahlberg.

Descr.: *A. albae* Reut. similis, mox autem cuneo macula nigra notato signaturaque membranae distincta; ab *A. lineata* Reut. corpore albido, signaturis longe diversis divergens. Caput (♀) basi pronoti circiter $\frac{2}{5}$ angustius, ab antico visum latitudini basali cum oculis longitudine subaequale, a latere visum altitudini basali aequae longum, vertice oculo duplo — paullo magis quam duplo latiore, fronte fortiter declivi, sat convexa, clypeo verticali, prominente, basi in linea intermedia oculorum posita, angulo faciali recto, gula haud distinguenda. Oculi nigro-fusci, parvuli, in genas quam in praecedentibus minus longe extensi. Rostrum albicans, apicem coxarum posticarum attingens. Antennae albiae, margine basali pronoti paullo breviorae. Pronotum basi longitudine magis quam duplo latiore, etiam apice longitudine distincte latiore. Hemielytra apicem abdominis sat longe superantia. Tarsi articulo ultimo ipso apice fuscescente, unguiculis brevibus nigris, aroliis latis fere apicem unguiculorum attingentibus.

18. *Opisthotaenia* Reut.

Diagn.: Corpus oblongum (♂) vel oblongo-ovale (♀), nitidum; capite basi pronoti fere duplo vel $\frac{2}{5}$ angustiore, nutante, ab antico viso transverso, nigro-signato, clypeo sat prominente, basi ejus a fronte sat obsolete discreto,